

288

286

292

282

297

277

337

237

387

187

Ende

Anfang

277

quibus nutritus sit. Hic ergo cum adolevisset, insulae regimen accepit et ex ea paene totum mundum turbavit et fratrum suorum dominus factus cum eis immanes gigantes, Titanes, devicit, eosque montibus supposuit; patrum suum Saturnum de regno expulit usque in Italiam, ubi tunc Janus regnavit, qui eum benigne receperit et conregnare permisit. Saturnus ergo multo populo ostendit antea non cognita, et inter alia cum eo usque ex pellibus pecudum duratis igne pecunia conficeretur, ipse primus aera signavit et nomen apposuit suum, ex parte una Jani, sui susceptoris, bifrons, ex altera vero navem, eo, quod in navi venisset.

Sub illis duobus regibus fuere aurea saecula in Tuscia et in Italia, quia nihil privatum, sed omnia erant communia. Igitur Jupiter, rex Cretae, cum quinque vicibus totum mundum peragrasset et ubique tam in campestribus, quam in montibus sibi templa construxisset seque deum esse populis nuntiaset et populum humaniter vivere instruxisset; fratribus suis divisit imperium, dans Plutoni inferorum dominium, Neptuno maris, reservans sibi coeli dominium. Tandem post multa vitam commutavit et moriens ad deos abiit, eumque sui filii constructo decoro sepulchro in Creta juxta Aulacium oppidum sepelierunt; quem Cretenses pro summo Deo coluerunt eumque aliis terris colendum praedicaverunt, cum tamen fuerit vitiosissimus homo et immundissimus, ut Augustinus libr. II. de Civitate Dei Cap. 7. ostendit. Unde vitiosi homines ad palliandum sua scelera eum pro deo coluerunt. Non solum autem Cretenses pro deo Jovem suum habuerunt, sed et prudensissimi Graeci, qui ipsum mundi mentem arbitrantes, quae in se ipsa mundum continens produxit. De quo Orpheus, Graecorum theologus, carmen edidit valde magnificum et omnino divinum, ut patet per Eusebium de praepar. Evangelica L. III. C. 3.

Qualis homo fuerit Jupiter ostendit Lactantius L. 16, qui, inquit, Jupiter, qui in solemnī precatione optimus et maximus nominatur? Nonne a sua prima pueritia parricida deprehenditur, cum patrem regno expulit nec exspectare finem decrepiti senis voluit cupiditate regnandi, et cum primum solium paternum et arma cepisset, bello a Titanibus laceratus, quibus victis reliquam vitam suam in stupris adulteriisque consumsit. Omitto virgines, quas imminuit, illud enim tolerabile judicari solet. Amphitryonem ac Tyndareum praeterire non possum, quorum domos

